

bra cogitur oculus iudicare columnam ele-
uam à pariete. Demum omnia hæc ita
sunt subiicienda oculis, & per minimas dif-
ferentias & animaduersiones ita diiudicanda,
atque experimento subiicienda, tum proprio,
tum aliorum non artis inexpertium, ut res
prostus absoluta videatur, atque in hoc
multum refert multiplices partes secundum
longitudinem c oloribus distinguere ad hoc
aptis, qui sunt obscurus, subobscurus, cine-
reus, qualis silicis candidus sine luce, demum
etiam aliquid nigri adiiciendum, nam diuisio
secundum longitudinem multum impedit,
hanc repræsentationem iunant, & extrema
benè coaptata, velut scapi imi, & capitula &
supremi, tum trabeationes ex materia coronæ,
zofoni, tœnia, epistylia, plinthi, echini, hypo-
trachelia, astagali, apophyges. Quæ etiam in
parte inferiore cum spira leu basi & limbo
& toro & plintho inferiore, & stylobata, &
alia tœnia summa diligentia, & cum ele-
uatione ac magnitudine ultra columnæ limi-
tes extendantur. Sic in stylobata ratio dia-
pente constat, cui solet addi vtrinque
sexta pars pro coronice, manifestum est au-
tem, quod in ea constat musica ratio
diapason ex diapente & diatessaro, com-
positi nam duæ sextæ partes, altera vtrin-
que adiecta tertiam conficiunt ut sit diatessar-
on suprà diapente. In regionibus au-
tem & spatiis depingendis eadem fermè
seruanda sunt duobus tamen adiectis,
quorum unum est ut longinquissima pars,
non per nigrum aut obscurum, sed cœ-
ruleum colorem, qualis in cœlo determi-
nanda est (nisi nox singatur) nam cœ-
lum longissimè à nobis distat, ita nubes
coloribus propriis, & montes cum niui-
bus, & spatia velut fluminis alueus, mare,
locus, atque hæc omnia per colores distantiae
singuntur, velut fluminis pars propior clara
& limpida, & colore aquo cernitur remota
obscura, quæ maximè procul abest nigra.
Sed maxima est confirmatio in compara-
tionibus: ut si arbores propè magna sint, &
homines & animalia, in remotiore autem
parte minimi, ac quasi puncti magnitudinem
referentes, atque ut in his musica non geo-
metrica aut arithmeticæ proportio serue-
tur. Evidem si quis iudicio hæc consequa-
tur, ac diligentia quæ scribi non possunt, sed
contemplatione habentur, sensa quoque
quem experimentum docet, nec ipsum man-
dare literis, licet ex rationibus tamen, quas
hic docemus intelliget patrum differre repræ-
sentationem à re ipsa corporea. Sed de
his haec tenus, quæ si diligentius quis perse-
qui velit sine artis experientia, plus adimet
perfectioni rei, quam adiicit. Hoc enim aliâs
declarauimus.

Propositio centesima sexagesima
nona.

Com.
Proportionem musicam in instru-
mentis declarare iuxta compositionis ra-
tionem.

Tria sunt instrumentorum genera, in qui-
bus maximè relucet ratio composizio-

nis musicæ quæ à nobis nunc sunt de-
monstranda, scilicet machinæ bellicæ, vt
catapultæ & balistæ & scorpiones, & hy-
draulica instrumenta ad modulationes parata,
quæ antiquo tempore maximè in viu fue-
runt nunc desita, de quibus Vitruvius agit
in decimo libro. Tertium est æneorum in-
strumentorum, quorum etiam usus desit in
scenicis theatris, ad intendendam vocem
cum modulatione, ut etiam clamor audien-
tium & vulgi cum voluptate excipiatur, de
quo idem in quinto libro egit. Sed nil me-
lius quæ verba ipsius explicare de hoc tra-
stantis, sunt autem hæc. Musicen autem
sciat oportet, vti canonicam rationem &
mathematicam notam habeat: præterea ba-
listarum, catapultarum, scorpionum, tempe-
raturas possit rectè facere. In capitulis enim
dextra ac sinistra sunt foramina homotono-
rum, per quæ tenduntur ergatis aut fuculis
& vectibus è neruo torti funes, qui non
præcluduntur, nec præligantur nisi ionitus
ad artificis aures certos & æquales fecerint:
Brachia enim quæ in eas tentones inclu-
duntur cum extenduntur æqualiter & parte
utraque plagam emittere debent. Quod si
non homotona fuerint, impedient directam
telorum missionem. Item theatris vasa ærea,
quæ in cellis sub gradibus mathematica ra-
tione collocantur, & sonum discrimina,
quæ Græci χια vocant, ad symphonias mu-
sicæ siue concentus componuntur, diuisa in
circinatione diatessaron & diapente & dia-
pason, vti vox scenici sonitus conueniens
in dispositionibus: tactu cum ostenderit
aucta cum incremento clarior & suauior ad
spectatorum perueniant aures. Hydraulicas
quoque machinas & cætera quæ sunt similia
his organis siue musicis rationibus efficere
nemo poterit. Capiamus ergo primum illud
quod est manifestius, scilicet de hydraulicis
organis quorum meminit Suetonius in Ne-
rone: Reliquam diei partem per organa hy-
draulica noui & ignoti generis circunduxit,
ostendensque singula de ratione ac difficultate
cuiusque differens iam se prolatum,
ut constet illa fuisse magni opificij quæ
nostra ætate desiere. Restat unicum & val-
de leue exemplum aliculaæ æneæ vel ligneæ
resonantis. Certum est aëre effici sonum, sed
ita misceri aquæ, vt dulcior & mollior non
solum euadat, sed etiam acutior ac modula-
tor. Eadem autem ratio maris: sed cum
aqua corpus moueat, videtur difficile
seruare proportionem, ea prima difficultas,
secunda est, quod cum aqua moueat, vix
fieri posse videtur ut totum seruet vocis in-
tegrum tenorem, tertia ob illius consump-
tionem. Propterea nihil mirum est si Nexo
de his subtiliter disputauit, mirum fuit quod
in tanta animi perturbatione nisi ad amen-
tiam, ut illi putant, referatur. Sed quid iam
amplius vigor, extat compendiosa ratio
constructionis illius apud eundem Vitru-
vium ubi Philander ex Atheneo sonus
hydradis suavis admodum atque iucun-
dus auditu est: ita ut omnes concinnitate
capti conuerterent, fuitque Alexandrinæ
urbis inuentum authore Ctesibio tonlore,
est autem magnæ Clepsydrae

Cap. 15. ad
18. & in
cap. 13.
cap. 5.

Lib. 10 c. 10.
Lib. 4. c. 24.